

Q V A R T V M P R O B L E M A.

Deinde cum declinatione stellæ ingredi tabellam fecundam, & numerum ibidem repertum duc in numerum multiplicandum iam pridem seruatum, à productoq; primas quinque figuras versus dextram abijce: nam residuus numerus solus, aut cum vnitate si abiectæ figuræ plus 50000. significauerint, erit sinus rectus cuiusdam arcus Aequatoris, intercepti à circulo latitudinis & circulo declinationis per verum locum stellæ transeuntibus.

Quære itaq; arcum eius per tabulam sinus (eum arcum, qui à plerisque vocatur differentia transitus stellæ per coeli medium) quem adde radici ascensionum, si verus locus stellæ fuerit in medietate eclipticæ descendenti, quæ videlicet à capite Cancri incipit, & ad initium Capricorni per Libram incedendo desinit, & stella ipsa habuerit declinationem septentrionalem: aut si stella fuerit in medietate ascendenti cum declinatione meridiana.

Si fuerit in medietate descendenti cum declinatione meridiana, aut in medietate ascendenti cum septentrionali declinatione, minue prædictum arcum à radice ascensionum: quod enim hoc pacto eueniet, vel addendo vel minuendo, prout res ipsa postulat, erit numerus ascensionis rectæ computandus in Aequatore ab initio Arietis.

Quòd si non potuerit fieri subtractio differentiae transitus per coeli medium ab ipsa radice ascensionum, adiungendus est integer circulus 360. graduum memoratæ radici, vt ab aggregato possit fieri subtractio.

Si præterea stella nullam habuerit declinationem, radicem ascensionum pro ascensione recta stellæ tenebis.

Hoc demum non est silentio prætereundum, quòd cum quilibet sinus rectus minor sinu quadrantis duos habeat arcus, vnum scilicet minorem quadrante, alterum autem maiorem eo, tunc quidem accipiendus est arcus minor quadrante, quando arcus circuli latitudinis per stellam transeuntis, qui inter Aequatorem & verum locum stellæ comprehenditur, minor quadrante circulum existit: tunc autem maior, dum ille quadrantem superabit,

Verbi gratia repeto stellam, cui in secundo problemate tribui 12. gradus Virginis cum tribus gradibus septentrionalis latitudinis. Intransi itaq; mihi tabulam coeli mediationum generalem cum 12. gradibus Virginis, obijcitur radix ascensionum habens 160. gradus & 29. minuta, numerusq; multiplicandus 24590. huic stellæ in secundo problemate computata est declinatio septentrionalis 9. graduum & 51. minutorum: quibus mediantibus per tabellam fecundam duplici introitu inuenio multiplicatorem 17363. eum duc in 24590. procreantur 426956170. à quibus reijcio primas 5. figuras, vice earum tamen addendo vnitatem relicto numero quinque quidem excedunt 50000. sic habeo 4270. sinum rectum differentiae transitus per coeli medium, cuius arcus est 4. gradus & 5. minuta, quem adiungo radici ascensionum, & resultat ascensio recta quaesita 164. graduum & 34. minutorum.

Ex ascen-

*16. Si dicitur Sept
à ay ad 24. 11. 2. 2.
à 24 ad 29. 1. 1. 1.
Si dicitur Arid.
Si dicitur Sup.
à 24 ad 29. 1. 1. 1.
à ay ad 24. 1. 1. 1.*

*Exem-
plum.
Dicitur 9. si Sept.
ad asc. 160 29. 51.
4 5
R. 164 34*